Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2119
Quelle:
Copyright:

credamus. ſi tamen recte uiuendo fidem illam teneamus et operibus impleamus.

III. *fol.* 24. p. 2. absque Inſcriptione *Alcuini* ad *Carolum M.* Epiſtola de ratione adpellationis Dominicae *Septuageſimae*, *Sexageſimae* et *Quinquageſimae* ante Paſcha. Habetur edit. *ſupracit.* T. I. P. I. p. 85. ordine LXV. incipitque: *Benedictus ſit Deus Pater Omnipotens qui te creauit* &c. Lectio plerumque in Editis caſtigatior, praeplacet tamen in Noſtro v. g. mox ſub principium: *ſaporabile auribus* pro *favorabile*, quod manu paullo recentiore adjectum eſt, et mox pro *flaccidis auribus* ab *Alcuini* praenomine ductum *flaccinis*, quod quidem egregie divinaſſe in *margine* video Celſ. Editorem. Haec porro *Epiſtola*, cum certe *Alcuini* ſit, licet nomen non praeferat, non levi argumento eſt, praecedentem etiam κατηχησιν ad illum referri debere.

IV. *fol.* 26. *Hraban. Iſanberto.* Exponitur illud I. *Reg.* C. 2. v. 15. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt deus* &c. hoc initio: *Non igitur eo modo in uirum. quo in deum peccatur* &c. *In deum peccare* Rabano hic eſt *ab eius cultu diſcedere*, adeoque *impietatis peccatum difficiliorque remiſſio.* Conſtat *Rabanum* pro fama doctrinae, qua florebat egregius hic *Alcuini* diſcipulus, paſſim conſultum fuiſſe, et ſpecimen *Reſponſorum* ejus, quae in Operibus *editis* fruſtra quaeras, dedimus *Cod.* CCLXXXIII.

V. *fol. eod.* p. 2. *Karolus gratia dei rex francorum. Dilectiſſimo magiſtro albino in domino ſalutem.* Reſpondet Princeps, Sophiſtarum, qui nil niſi *Titum*, *Trajanum*, et *Antoninos* crepare norunt, pace dixero, maximus ſuperiori *Alcuini* Epiſtolae, argumentumque, quod ille orſus erat, pertexit. Initium: *Peruenit ad nos epiſtola a religione prudentię ueſtrae* &c. Extat illa plenior edit. *ſupracit. Opp. Alcuini* T. I. P. I. p. 88. ordine LXVI. Finem tamen ejus, qui a *Pariſina Andr. Quercetani* edit. p. 1147. abeſt, Codex noſter pariter agnoſcit.

VI. *fol.* 27. Subnexa eſt brevis Enumeratio *Autorum Symboli Apoſtolici* ex ea perſuaſione, quod ſinguli Apoſtoli ſingulos condiderint Articulos. Initium: *Igitur quod ſuperius omiſimus quinam ſymbuli eſſent auctores nunc neceſſe eſt explicemus* &c. Pertinet itaque ad indicatam N. II. *Diſputationem Puerorum;* brevior tamen multo eſt, ac in editis *l. ſupracit.*

VII. *fol. eod.* p. 2. ſub ſola voce *Gregorius* Locus prolixus, ſed excerptus tantum ex *Homilia IX. L. I. in Ezechielem*, qui in edit. *Opp. Maur. Pariſ.* 1705. habetur T. I. *col.* 1254. et incipit: *Ezechiel itaque qui non ſolum populo ſed etiam ſenioribus loqui mittebatur* &c. finitque: *licentiam male agendi preſtant.*

VIII. *fol.* 28. p. 2. Locus prolixus et integer *de quatuor diligendis*, ſcilicet Deo, Seipſo, Corpore